

Dei, quidquid nequius vel turpius aspirante Satana concepisset inteirurus, in ipsius toto conamine maledicens et convicians jactitaret. Verum ultione Domini protinus concurrente, ipse retro corruit resupinus, et cervice collisa spiritum exhalavit. Unde subito lamentandæ mortis ejus dolore percussus Henricus, casum lugubrem et occasum nuntiavit Abbati, supplicans ut cum paulum processisset, ad tam triste spectaculum remearet, dicente quoque eodem Henrico : « Hoc ei propter vos accidit, quoniam in vos blasphemus esse et contumeliosus non timuit. » « Heu, inquit, nolit hoc Dominus, ut propter me quispiam moriatur. »

30. Retrogressus igitur ad orationem, in qua sola in omni difficultate fidebat, se contulit, et ad longitudinem unius *Pater noster*, super eum silenter oravit; et mox præcepit adstantibus illum erigere: qui erectus, utpote jam defunctus, caput, carens cervicis suffragio, agebat miserabili circumflexu. Rursusque ait: « Tenete, tenete firmiter ei caput. » Demum appropinquans, et saliva sua, cujus medicinali unctione persæpius utebatur, loca læsuræ deliniens et consignans: « In nomine Domini, ait, surge. » Et iterum: « In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti Deus tibi spiritum, tuum reddat. » Ille vero recepto mox spiritu factus est in animam viventem, vel potius redivivam,

1208 mirantibus præ gaudio, et in cælum voces ac laudes tollentibus universis qui aderant, et viderant tam manifeste mortuum revixisse. Interrogatus denique ab eodem Sancto Dei, quomodo victurus, quid acturus esset in reliquum: « Domine, ait, modo quo jusseris vivam, faciamque quidquid præcipies, quidquid voles. » Ab astantibus utrum esset jam mortuus [interrogatus]: « Mortuus, inquit, eram, et sententiam damnationis acceperam, ac nisi Abbas sanctus festinasset accurrere, eram ad inferna ducendus. » Ad exhortationem quorundam astantium crucis accepit signaculum, et cum cæteris Jerosolymam est profectus. Henricus iste in eodem itinere Deo et beato Bernardo se reddidit, et in Clara-Valle postmodum monachus ejus fuit. Hoc ipse miraculum cum fidelibus oculis esset intuitus, crederetque scriptoribus vitæ sancti Patris esse notissimum; deprehendo tandem fuisse silentio missum, indoluit, et ad gloriam Dei et Sancti sui, juxta quod præsentaneæ fuerat contemplatus, narravit, ut in quanta gloria sit habendus, quem ita glorificavit Altissimus, audiat et intelligat omnis generatio in sæculum sæculi secutura.

CAPUT XX.

De Alexandro canonico et doctore Coloniensi, per sanctum Bernardum ad religionem mirabiliter vocato.

31. Apud Coloniæ-Agrippinam, quæ est insignis metropolis Germaniæ secundæ, fuit magister quidam Alexander nomine, (131) canonicus, doctorque

(131) Vide de eo supra lib. vi, c. 1, Eadem apud Herbert. lib. ii, cap. 23.

famosissimus in eadem urbe. Accidit autem ut Dei famulus beatus Bernardus Claræ-Vallensis abbas jubente Eugenio papa Germaniam ingrederetur, Jerosolymitanum iter Conrado imperatori, et populo terræ prædicaturus. Cumque ibidem signis et virtutibus innumeris coroscaret, videns Imperator mirabilia magna quæ Dominus per eum ostendebat, compunctus corde, crucis signum de manu illius accepit. Jerosolymam profecturus. Nec distulit hoc idem facere infinita hominum multitudo, ita ut incredibili fidei ardore succensi scissuras et fimbrias de vestimentis Famuli Dei, qui propter hoc ipsum nova frequenter accipere cogebatur, undique certatim diriperent, seque infelices arbitrarentur, quicunque de indumentis ejus cruces habere non mererentur. Multi quoque ex eis nobiles et sapientes viri per manum illius sese Domino reddiderunt, qui in Claram-Vallem ab eo deducti, et monachi facti, maximum deinceps in Ecclesia Dei fructum Deo attulerunt. Ex quibus etiam erat unus supra memoratus vir nobilis Alexander, qui eo tempore vivens, et sæcularis scientiæ typho turgens, divitiarum quoque et transitorii honoris infulis adornatus, nihilominus conversionem, quam non cogitabat, sed Deus qui comprehendit sapientes in astutia sua, mirabili hoc ordine, sicut sequentia declarabunt, adimplevit.

32. Cum enim beatissimus pater Bernardus ipsum de conversione monuisset, ille sæculari scientia vel opulentia tumens, respondit se ad præsens nihil minus cogitare vel velle, quam habitum sumere monachalem. Eadem igitur nocte, cum membra sopori dedisset, apparuit ei in visione idem homo, erigens eum de grabato, in quo graviter languens jacere videbatur, ac restituere sanitati. Deinde tulit habitum suum, quo erat ipse indutus, et ex eo contextit Alexandrum: qui cum eundem habitum semel et secundo rejectum ab humeris indignanti animo repulisset, tertia tandem vice collo ejus injectum, et corpori valenter astrictum compulsus est retinere. Deinde Pater sanctus baculum, quem manu tenebat, ipsius manus tradens, futuræ prælationis gratiam denotavit, et ita abire præcepit. Evigilans autem Alexander, nihil adhuc pro hujusmodi revelatione mollescere poterat, sed in eadem animi duritia persistebat.

33. Eodem vero die cum ille beatissimus Abbas ad mensam recumberet, oblatus est ei piscis, qui perca nominatur, ut ex eo reficeretur. Quo viso Vir Dei, erectus in cælum oculis, super eundem piscem diutius oravit, et benedicens illum præfato Alexandro pro pitantia transmisit: quem cum ille gustare inciperet, ad primum illico **1209** morsum meruit in semetipso feliciter experiri, quantæ virtutis esset oratio Famuli Dei. Nam repente mutatus in alium virum, compunctus est valde, et cepit super eundem piscem lacrymas fundere. Mirabatur vero seipsum, nesciens quid haberet, vel cur fleret. Tandem recordatus visionis, quam nocte

præterita viderat, intellexit a Domino gratuita ejus miseratione se esse præventum. Unde supernæ vocationi ex intimo corde gratias agens, beato Dei Famulo incontinenti se reddidit. A quo benigne susceptus, et in Clara-Valle monachus factus, et deinde Grandis-Silvæ pastor effectus, adeo in sanctitate vitæ profecit, ut postmodum fieret Cisterciensis cœnobii abbas, ac totius Ordinis Pater universalis (132). Hæc nos, sicut ab eodem Dei famulo Alexandro audivimus, fidei relatione deprompsimus.

CAPUT XXI (133).

De mira sacerdotis concubinari, et monachi quondam Claræ-Vallensis, conversione.

34. Monachus quidam de monasterio ejus et disciplina exiens, rejecto habitu, suadente diabolo ad sæculum rediit, et parviciam quamdam regendam suscepit. Erat quippe sacerdos: et quia sæpe peccatum peccato puniatur, desertor Ordinis in vitium labitur libidinis. Concubinam, sicut multis consuetudinis est, ad sibi cohabitandum accepit, de qua et liberos genuit. Accedit ut post annos plurimos, miserante Domino, qui neminem vult perire, sanctus Abbas per villam, in qua morabatur idem monachus, transiret, et ad domum illius hospitandi gratia diverteret. Quem ille cognoscens, et quasi proprium patrem cum multa reverentia excipiens, devote ministravit, et tam ipsi, quam jumentis necessaria copiose procuravit: non tamen cognitus est ab Abbate. Mane cum Vir sanctus dictis matutinis paratus esset ad eundem, nec posset loqui sacerdoti, eo quod matutinis surgens isset ad ecclesiam, ait filio ipsius sacerdotis. « Vade, defer nuntium istud domino tuo. » Erat autem puer idem mutus a nativitate. Qui præcepto obediens, et præcipientis sentiens in se virtutem, ad patrem cucurrit, et sancti Patris verba verbis valde absolute expressit, dicens: « Hæc et hæc mandat tibi Abbas. » Pater primam filii vocem audiens, et præ gaudio lacrymans, ut secundo ac tertio eadem verba repeteret, admonuit; et quid sibi Abbas fecerit, inquisivit. Cui ille: Nihil aliud mihi fecit, sed solummodo mihi dixit: Vade, dic domino tuo verba hæc. » Ad tam evidens miraculum sacerdos compunctus, festinanter ad sanctum Virum venit, seque cum lacrymis ad pedes illius prostravit: « Domine, inquit, pater, monachus vester talis ac talis fui, et tali tempore a tali monasterio recessi. Rogo igitur Paternitatem vestram, ut liceat mihi redire vobiscum ad monasterium, quia Deus in adventu vestro visitavit cor meum. » Cui sanctus: « Expecta me hic, et ego peracto negotio citius revertens ducam te mecum. » Timens ille mortem, quam prius non timebat, respondit: « Domine, timeo interim mori. » Ad hæc ille: « Hoc, inquit, pro certo scias, quia si in tali conditione ac proposito mortuus fueris, coram

(132) Insignis hic locus ad illustrandam dignitatem abbatis Cisterciensis, de quo vide epistolam 4, num. 3, et epistolam 5, num. 1, ubi Commissor appellatur. Conf. epistolam 6, num. 1. Idem abbas

Deo monachus invenieris. » Recessit, illumque recenter mortuum ac sepultum audiens, sepulcrum aperire præcepit; dicentibus quid vellet facere, respondit: « Volo videre utrum in sepulcro jaceat monachus, an clericus. » Clericum, inquit, in habitu sæculari sepelivimus. » Rejecta terra, non in veste qua sepultus fuit, sed in tonsura et in habitu monachi cunctis apparuit: et magnificatus est ab omnibus Deus.

1210 CAPUT XXII.

De vocatione Arnulfi viri nobilis in Flandria, et penitentia ipsi a beato Bernardo imposita.

35. Dum reverendissimus pater Bernardus aliquando provinciam Flandriæ intrasset, et retia Dei quaquaversum in capturam animarum laxasset, et nobiles et litteratos viros multos de fluctibus sæculi ad littus conversionis attraheret, inter cæteros illustri quidam Arnulfus nomine de Majorca, dives et delicatus nimis, secreto in manibus ejus se reddidit. Fuit autem utriusque consilium rem silentio tegere propter quædam impedimenta sæculi, usque ad ultimum diem quo egressurus esset de terra et cognatione sua. Erat enim magnus paterfamilias, ornatus filiis et fratribus, tantisque divitiis irretitus, ut absque suorum damno et scandalo gravi abrumperere se non posset, nisi prius domum sapienter et caute disponeret. Interea vero dum silentium istud tenerent omnia, et arcani hujus negotii causam ipsi duo soli in mundo scirent, factum est verbum Domini ad quemdam rusticum armentarium, cum boves minaret ad aratrum, dicens: « Vade, dic Arnulfo de Majorca, ut secum ducat te in Claram-Vallem, quo proxime iturus est ad conversionem; et tu cum eo convertere. Audivit vero vocem, sed neminem videbat. Facta autem hac voce, cepit pauper ille attentius orare, ut si a Domino sermo fuisset, revelaret iterum auriculam ejus. Et adjecit secundo loqui ad ipsum, repetens eundem sermonem. Accepto itaque secunda vice oraculo, venit ad prætaxatum virum, et ait: « Verbum mihi ad te dominum meum. » A quo cum fuisset ductus in partem, procidit ad genua ejus, dicens: « Obsecro te per Christum Dominum nostrum, ut ducas me ad Claram-Vallem tuam, ut salves tecum animam meam; et si scire desideras, Dominus pius et misericors secreta tua, causa salutis meæ, mihi revelare dignatus est. »

36. Audiens autem nobilis ille paterfamilias verba ista, miratus et lætatus est valde; acceptumque hominem conduxit ad seipsum: quem etiam postmodum individuum comitem itineris pariter et conversionis habuit, habiturus, ut credimus, consortem æternæ retributionis. Explicitis itaque negotiis, pro quibus moram fecerat, venit Claram-Vallem, tam submissus humilitate,

« Ordinis Pater universalis » item ab Herberto appellatur, infra, num. 17.

(133) Desumptum ex cod. Barbelliano ordin. Cisterc. in diœcesi Senonensi.

quam sublimis divitiarum affluentia: multaque eisdem monasterio de suis facultatibus contulit, sed et aliis nonnullis cœnobiiis dona etiam largitus est. Sanctus vero Bernardus de conversione ejus multum exhilaratus, talem de eo in conventu fratrum sententiam protulit: « De conversione fratris Arnulfi nec minus glorificandus est Christus, quam de resuscitatione Lazari quatuoridui, eo videlicet quod in deliciis tanti clausus atque sepultus, velut in tumulo jacebat, et quasi vivens mortuus erat. » Huic autem confitentium cum gemitu et lacrymis multis delicta universa, quæ in mundo contraxerat, beatus Bernardus intuens cordis ejus amarissimam contritionem, et ad omne opus bonum spontaneam voluntatem, injunxit ei ut orationem dominicam tribus (134) vicibus diceret, atque in suo proposito deinceps usque ad mortem perduraret. Quo ille audito, contristatus respondit: « Ne, quæso, irrideas famulum tuum, beatissime pater. » « In quo te, » ait, « irrideo? » At ille ait: « Jejunia septem annorum, vel decem quoque, non sufficerent, mihi etiam humiliato in sacco et cinere; et tu mihi præcipis orationem dominicam tertio dicere, et in Ordine perseverare? » Et sanctus ad eum: « Ergone tu me melius nosti, quid te oporteat facere ut salveris? An tibi forte parum videtur, Ordinem tenere, et in ipso usque ad mortem perseverare? » Ille vero respondit: « Absit ab anima mea tam iniqua præsumptio: sed propter Deum obsecro, ne mihi parcas in præsentem, ut melius parcas in futuro; et talem nunc impone poenitentiam, quatenus post mortem carnis ad requiem sine poena perveniam. » Cui beatus Pater ait: « Fac ut locutus sum, et securum te facio quia deposita mole corporis mox ad Deum sine molestia pervolabis. » Hoc itaque responso quasi divinitus accepto confortatus est nimis, adeo ut deinceps nulla tentationum violentia, nulla infirmitatis molestia posset a cursu desiderii sui, quo totus in Deum pergebat, aliquatenus retardari.

37. Erat autem circa observantias Ordinis et custodiam cordis et sollicitus, et timoratus nimis, ita ut neminem vidisse se roclam, tam studiosum conscientiae propriae mundatorem. Mirabantur siquidem omnes, præsertim confessionum illius auditores, quotidianam instantiam, vel potius importunitatem, qua eos quiescere non sinebat, sicut nec ipsi quiescere poterat confitendo, plangendo, plorando nonnunquam de otioso sermone aut signo, si quando illi vel raro subreperet: verum etiam super yana et levi aliqua cogitatione, quod cæteri hominum, exceptis paucis perfectis, parvipendere solent, seipsum scrupulosissime dijudicabat, et quasi de crimine arguebat. Quia vero veraciter

(134) Huic facto obstare videtur Petri Damiani Opusculum 13, ubi quosdam monasteriorum rectores arguit, « quod quibuslibet a sæculo venientibus, etiamsi graviter lapsi sint, aliam poenitentiam non imponunt, nisi ut communem monasterii Ordinem

scriptum est: *Quem diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit* (Hebr. XII, 6), nunquam huic venerabili viro paternæ misericordiæ correctio defuit, semper in eo vitia carnis reseccans, et virtutes animæ pullulare et fructificare faciens. Denique per plures annos usque ad exitum suum gravibus et diuturnis incommodis flagellatus est, quæ omnia non solum æquanimitè tolerabat, verum etiam gloriabatur in illis, sicut in omnibus divitiis. Factum est quodam tempore, dum conquassatus et debilitatus esset usquequaque, ita ut non sine gravi dolore inclinari stare posset, nec propter hoc unquam omitteret, ut non ad omnem « Gloria » decantationem profunde et devote divinæ majestati inclinando reverentiam exhiberet, ut vespertina synaxis in ecclesia celebraretur. Ipso stante retro in choro juxta quemdam monachum virum æque sanctissimum, ecce angelus Domini apparuit ibi in specie pulcherrimi monachi adolescentis, cuculla indutus nive candidiore, quem tamen idem Arnulfus minime videbat. Cumque more solito ad « Gloria » psalmi devote inclinaret, angelus Domini stabat coram eo, et supplicantis caput suppositis manibus sustentabat. Quem cum prædictus monachus collateralis ejusdem fratris Arnulfi cerneret, et ex fulgore vultus et habitus angelum esse deprehenderet; lætatus est valde super angelico aspectu, accessitque ut teneret eum, et devote amplexaretur. Cumque expansis manibus vellet tenere atque constringere sibi, ille subito evanescens recessit ab eo: sed subito iterum apparens stetit in alio loco. Videns vero illum monachus, denuo currit ad eum: et simili modo nitentur apprehendere eum: sed mox angelo disparente, et protinus alibi reapparente, frustratus est homo a conatu suo. Quod cum pluries factum fuisset, tandem angelus ex toto disparuit, et qui se videndum obtulerat, teneri omnino non pertulit.

38. Laborabat aliquando athleta Dei Arnulfus doloribus viscerum, quibus frequenter nimium arcubatur: et erat languor fortissimus, ita ut deficiente vitali spiritu pene usque ad mortem angustaretur. Cumque aliquandiu mutus et insensibilis jaceret, devitæ ipsius desperatum est, et ob hoc oleo infirmorum inunctus est. At abi primam respirare potuit, erumpens in vocem confessionis et laudis, ait: « Vera sunt omnia quæ dixisti, Domine Jesu. » Quod cum sæpius iteraret, stupentibus qui aderant, et percunctantibus quomodo se haberet, aut quare ista diceret, nihil aliud respondebat, nisi, quia vera sunt omnia quæ locutus est Deus. Quidam autem ex ipsis dicebant, quod præ acerbitate doloris cerebro turbatus esset, et quasi aliena loqueretur. Quibus ille respondit: « Non est ita, fratres, sed aservent. » Et id quidem verum esse potest de monasteriis laxioris disciplinae, non strictioris, qualis erat apud Cleræ-Vallensium, maxime ubi conversi animus magno poenitentiae sensu afficitur. Vide tomum 2 Analectorum pag. 346 sqq.

no capite et mente sobria dico, quia vera sunt omnia, quæ locutus est Dominus Jesus. » At illi dixerunt: « Et nos hoc verum esse fatemur: sed tu cur nunc ista commemoras? » Respondit: « Dominus dicit in Evangelio, quia si quis affectibus parentum et divitiis mundi propter amorem ipsius renuntiaverit, centuplum accipiet in hoc sæculo et vitam æternam in futuro (Matth. XIX, 29). Ego itaque vim sermonis hujus in præsentem experior, et centuplum meum jam nunc in hac vita recipio. Siquidem immensa doloris istius acerbitas adeo mihi sapit propter spem divinæ miserationis, quæ in ea reposita est mihi, ut hac ipsa caruisse me nolim pro centuplicata mundi substantia, quam reliqui. Quod si ego peccator et indignus, ita confiteor, adeo lætificor etiam in angustiis meis: quomodo, putamus, sancti et perfecti viri tripudiant et exsultant in consolationibus suis? Vere etenim spirituale gaudium, quod modo est in spe, centies millies exsuperat sæculare gaudium, quod nunc est in re. Si quis autem sæculum relinquens, et ad conversionem veniens, centuplum istud accipere non meretur, constat profecto quod adhuc omnia perfecte non reliquit, sed ex propria voluntate, quæ est mala proprietas, secum retinet aliquid. » Hoc illo dicente, mirati sunt universi ab homine laico et illitterato sententiam talem esse prolatam; nisi quia manifeste dabatur intelligi quia Spiritus sanctus, qui eum flagellari in corpore graviter permittebat, intus suaviter in anima inungebat: cujus nimirum sacraissima unctio, quemcumque tetigerit hominem, docet de omnibus quæ oportet. Iste ergo vir sanctus, cum jam de manu Domini suscepisset duplicia pro omnibus peccatis suis, tandem longo cruciatus martyrio et tanquam aurum in fornace probatus, pacatissimo somno obdormivit in Domino: de quo certissime credimus quia juxta beati Bernardi sententiam, mox ut a corpore exivit, ad Deum sine poena pervenit. Quid ergo huic pauperi Christi unquam defuit in die certaminis sui? qui secundum prophetam confidens in Domino, mutavit fortitudinem carnis in robur spiritus, non considerans quid caro posset, sed quid Ordo et Regula præciperet: et quasi signaculum posuit super cor suum verbum consummans et abbreviatum, quod a sancto Patre acceperat, ut scilicet pro omnibus peccatis suis Ordinem servaret.

CAPUT XXIII.

De monacho quodam laico sub disciplina Bernardi fervore ad perfectionem virtutum anhelante.

39. *Non gloriatur, ait dominus per prophetam, sapiens in sapientia sua, neque dives in divitiis suis; sed in hoc gloriatur qui gloriatur, scire et nosse me, quoniam ego sum Dominus* (Jerem. IX, 23, 24). Hanc divinæ scientiæ formulam perfectus imitatus sunt hi qui sub beato patre nostro Bernardo in Clara-Valle cœlestis philosophiæ disciplinis imbuebantur, non solum litterati et in mysteriis sacræ legis eruditi

virii multi, verum etiam laici et illitterati quamplures. Qui etsi humanæ scientiæ fabricam, per quam ad perfectionis culmen niterentur, minime consecuti sunt, habebant tamen gratiam illuminantem, et Spiritum vivificantem, qui de omnibus quæ oportebat, sæculari scientia incomparabiliter efficacius eos docebat. Talium quidam monachus laicus, non littera doctus, sed spiritu, cum esset fervens in opere Dei, charismatumque meliorum haud segnis æmulator, didicerat sancti Spiritus magisterio, non altum sapere, sed semetipsum in omnibus humiliare, sacræ religionis studia, quæ in moribus contubernaliū suorum duce humilitate sedulus scrutabatur, magna et præexcelsa æstimare; suas vero virtutes, quibus non mediocriter pollebat, eorum comparatione prorsus despiciere. Sicque factum est ut eminentia sanctæ humilitatis illos præcelleret, quibus in aliis virtutibus fortassis impar non erat; dum, quod rarum valde in humano genere est, continue quod sibi deesset vel quibus alii florent virtutibus, non invidiosus, sed pius scrutator attenderet.

40. Contigit autem ut taliter affectus, quadam vice solemnibus fratrum vigiliis interesset. Tum vero lethali negligentia seu somnolentia propulsata, consuetudinaria corripiens arma, quibus ad debellandum inimicum nihil efficacius esse sciebat, cepit sibi peccata proponere, negligentias quotidianas districte discutere; se miserum, se reum, se peccatorem coram oculis summæ Majestatis accusare, consequenter etiam fratrum suorum, sicut solebat, vitam conversationemque magnificare et beatificare. Cæterum unum quem gratia virtutum multos alios excellere non semel notaverat, secretario cordis humiliter inducens, ipsius humilitatem, charitatem, patientiam, et continentiam, cæteraque spiritualis gratiæ charismata, quæ in illo servo Dei inveniebant, religioso usque ad unguem scrutinio rimabatur, seque in ejus comparatione non nisi pulverem et cinerem reputabat. Denique sanctæ humilitatis ardorem, quem in tam sublimi contemplatione ceperat, ferre non valens, summo diluculo, tempore quo regulariter loqui posset, vix expectato, reverendissimum patrem Bernardum, signo in auditorium trahit, veniam petit, circumfusa sibi mœstitia internum prodens cordis dolorem. Requisitus quid causæ haberet: « Væ, inquit, misero peccatori, omnibus bonis prorsus vacuo, ut qui hac nocte in illo tali fratre nostro triginta virtutes, quibus omnibus pollet, numeravi, quorum ne ultimam quidem seu minimam in me mendico reperire prævaleo. Rogo ergo te, domine pater, ut digneris intercedere pro me ad Dominum, quatenus tuis sanctis meritis et precibus virtutum opera consequi merear, quæ peccatis meis exigentibus hactenus habere non potui (135). »

(135) Serm. 36 de Diversis, n. 2.

41. Audiens spiritualis magister altissimam discipuli humilitatem, ejus religionem optime noverat, licet ipse qui ea clarus erat, felici ignorantia se eam habere nesciret, gavisus est gaudio magno valde, desiderans et optans cunctos sibi commissos ita semper in virtutibus proficere, ut tam religiosa infirmitatis suae consideratione se proficere quodammodo nescirent. Quanta vero admiratione dignum censuerit tantae humilitatis praeconium, per hoc evidentius innotuit, quod in Sermionibus in conventu fratrum habitis, ejusdem fratris aliquoties debita cum laude meminit; asserens nullam ex omnibus virtutibus, quas idem vere monachus in simplicitate cordis sui enumerarat, tantae fortassis excellentiae fuisse, quantae pia contemplantis erat humilitas, qui negligentiores et infirmiores quosque juxta se positos nec videbat, nec attendebat, solos illos pertinaci studio praec oculis habens, quos vita et moribus spectabiles esse sciebat, quatenus eorum comparatione sibimetipsi vita sua in oculis suis vilesceret.

CAPUT XXIV.

De mirabili dono visionis propheticæ, qua aliorum arcana, etiam absentium, cognovit.

42. Instabat aliquando sanctissima solemnitas Assumptionis, si recte memini, intemeratae et immaculate virginis Dei genitricis Mariae; et fratres grangiarum Clarae-Vallis, ob reverentiam tantae diei, ad abbatiam festinabant. Verum in una ex iis grangiis, quae viciniore erant, fuit Conversus quidam religiosus ac timens Deum, qui etsi pro simplicitate sua perfectiora quæque sacrae religionis apprehendere nequibat, bonae tamen voluntatis et devotionis existens, piissimam Dei Genitricem dominam nostram sincero venerabatur affectu. Cum autem magister grangiae ordinaret quisnam ad abbatiam ire deberet, vel qui ob tutelam domi remanerent, inter caeteros qui remansuri erant, eidem fratri cura custodiendarum ovium commissa est: qua commissionem licet ægerrime ferret, quoniam sperabat et multum desiderabat, divinis hymnis et cantilenis spiritualibus interesse, quos in honorem Reginae caeli a sancto illo conventu devotissime persolvendas fore sciebat; nihil tamen ausus contradicere, obedientissime paruit imperanti. Unde accidit ut devotio sancta, quam mente conceperat, quamque per inquietudinem terrenae occupationis, quam obedientia injunxerat, perdere timebat; eadem obedientia promptam voluntatem ipsius remunerante, velut ignis scintillans et aestuans, in praecordiis ejus magis ac magis dilatata, ferventior efficeretur.

43. Nocte itaque sacratissimae celebritatis, dum sollicitus excubias supra gregem suum in pascuis quiescentem servaret, factum est ut sonitus signi matutinalis, quo fratres ad divinas laudes persolvendas in caenobio excitabantur; quodque ob concitini silentium procul audiri poterat, aures ipsius reverberaret. Tum vero concaluit cor ejus 1214

A in ipso, et in meditatione ipsius exarsit ignis, cogitantis sanctae illius multitudinis frequentiam, sed et fervorem ac devotionem, qua scilicet sincero affectu piissimae Matri misericordiae caelestis harmoniae odas in commune persolverent; seu qualiter singuli quique ad se in secreto suo ejusdem beatae Virginis patrocinium votis et suspiriis implorarent. Protinus ergo exurgens, tantaeque devotionis pro modulo suo particeps effici cupiens, versus illam plagam caeli, qua monasterium situm erat, vultu et animo intentus stabat. Dehinc consuetudinariis precibus, quae Conversis vice matutinarum statutae sunt, quanto potuit devotius expletis; cum in paupere armariolo cordis sui enixius quereretur quid precis, seu quid laudis sanctae Theotoco dominæ nostrae offerret, unde protelatas et in longum valde productas fratrum vigiliis aliquo modo recompensare potuisset; nihil aliud praeter salutationem ejusdem pie Dominæ, quam utcumque didicerat, se scire invenit. Hanc itaque tanquam verbum consummans et abbreviatum, in quo plenitudo totius devotionis inveniri posset, assumens, et oculos ad caelum dirigens, venias (136) veniis, suspiria suspiriis, salutationesque salutationibus superaddidit; et in tali negotio reliquum noctis, et diluculi partem sine taedio transegit. Divina namque cooperante gratia, quae tantum fervorem in corde sui pauperis accenderat, identitas mater fastidii, noverca devotionis, miro et contrario modo fastidium propulsabat, et devotionem exacuebat, dum verba illa suavissima, et omni melle dulciora simplici corde prolata, itidemque crebrius repetita, favorem et gratiam universalis Dominæ oranti et suspiranti celerius impetrarunt.

44. Denique quod non frustra in genitu suo laboraverit, nec incassum misericordiam a Matre misericordiae quaesierit, Dominus reverendissimo abbati Bernardo per spiritum revelare dignatus est: qui divinis hymnis expletis, sacrisque mysteriis in honore praecelsae Dei genitricis et virginis Mariae a singulis sacerdotibus devotissime celebratis, cum in conventu fratrum ob tantae solemnitatis praerogativam commendandam sermonem faceret, Spiritus sancti gratia vehementer ignitum, inter caetera sic ait: « Et quidem, fratres mei dilectissimi, dubitare fas non est, vos Domino Jesu Christo vero regi, necnon et speciali patronae nostrae gloriosae virgini Matri ipsius sanctum beneplacens et acceptabile devotionis nostrae sacrificium hac nocte obtulisse; ideoque fructum laboris vestri, mercedem aeternam apud Dominum, et eandem benignissimam Protectricem nostram vobis repositam esse certissima fide tenere debetis. Verumtamen scire vos volo, unum ex minoribus et simplicioribus fratribus nostris Conversis, quem obedientia hac nocte in montibus et silvis isis sub dio tantae festivitatis gaudia celebrare coegerat, tam jucundum, tam devotum,

(136) Id est, genuflexiones

tam festivum Dominæ nostrae matutinarum exsolvisse servitium, ut nullius nostrum, quantumcumque suspensa contemplatio seu intensa devotio, ipsius devotioni, quam non alta contemplationis sublimitas, sed submissa sanctae simplicitatis humilitas effecit, praeferrere potuerit. » Quo audito mirati sunt universi, praecipue vero non solum mirati, sed et gratulati sunt, et vehementer aedificati fratres laici, quod obedientia tam festivis, quam privatis diebus frequenter in diversa opera trahebatur: certissime scientes, quoniam sicut septa claustrum et parietes templi sanctum non faciunt timorem Domini negligentem, sic etiam negotia, quae causa terrenae necessitatis obedientia injunxerit, nihil obesse poterunt puras manus in oratione levanti, puraque conscientia Domino servire cupienti.

CAPUT XXV

De monachi tertio apostatantis conversione, monitis et precibus sancti patris Bernardi obtenta, ejusdemque paterna castigatione, et felici morte.

45. Conversus quidam, cum de domo Clarae-Vallis levitate sua tertio fuisset egressus tertioque receptus, tandemque salutaribus monitis, et sanctis precibus beati Bernardi abbatis compunctus, cepit apostasiae suae praecipitium, in quo jam tertio graviter periclitatus fuerat, 1215 totis medullis cordis horrere, et quid poenitentiae vel satisfactionis Domino pro tam enormi reatu suo offerre posset, enixius quaerere. Et inspirante Domino cogitavit et intellexit ad promerendam veniam delictorum, et ad obtinendam gratiam virtutum nihil efficacius, nihil in conspectu Domini acceptabilius esse sacrificio cordis contriti, et spiritus humiliati, quod solum regno caelorum vim facere praevalet. et formidabilem cunctis divinae justitiae districtionem gemitibus inenarrabilibus flectere consuevit. Haec itaque pietatis arma corripens, et seipsum contra semetipsum erigens, primo quidem universas Ordinis observantias sine dissimulatrice negligentia, quantum potuit, observare studuit, et insuper quotidianis precibus et lamentis praeterita sua peccata diluere sollicitus fuit, salubri prorsus exemplo stans, ne laborarent, lapsos, ut erigerentur, informans.

46. Caeterum disponente Domino, qui fortioribus peccatis fortiora solet adhibere medicamina, quique ineffabili pietate sua quandoque vasa contumeliae transfert in vasa honoris et gratiae, ingressa est putredo in ossibus fratris praedicti, et percussus est circa femora ulcere pessimo, apostemate canceroso, et crescente in dies angustia languoris, totus contabuit, ita ut carnibus circa locum ulceris undique corrosis, ossa nudata patescerent, et vulnera vermibus scaturirent. Annis itaque pluribus in grabato carceratus, et divinae animadversiois flagellis humiliter subditus, quot horis vivebat, totidem pene interitionibus subjacebat. Erat ergo patienti animae miserabilis dolor et

angor a facie putrescentis corporis sui, simulque servitoribus ejus angustia cordis immensa, praehorror et fetore, quem tabiosum ulcus continue exhalabat. Sed laboris et patientiae hujus nihilominus remuneratio copiosa penes Deum utrisque reposita. Saetagebat autem frater idem infirmus et doloribus et pressuris suis semper gratias agere, corde credens, et ore confitens, sese recipere longe adhuc imparia meritis.

47. Cum autem jam ad purum fuisset in eo scoria excocta peccati, ut secundum Sapientis dictum, ablata rubigine de argento egredere vas purissimum (Prov. xxv, 4); tandem educta est anima illa beata conflatario purgationis, et velut argentum igne examinatum, munda et nitida, cum caeteris misericordiae vasis translata est ad palatium summi Regis. Sed antequam de lacu miseriae et de luto faecis educeretur, ad consolationem omnium vere poenitentium meruit in hac vita praelibare fructum laboris et patientiae suae, et nescio quid ineffabile de illa superna dulcedine, ad quam sine fine fruendam in proximo erat admittenda, praegustare. Qua gustata tanquam musto caelesti inebriatus, protinus erupit in jubilo praeconii caelestis, et serenata facie cepit idiota, et qui nunquam cantare aut legere didicerat, cum suavissima melodia quosdam novos multumque delectabiles hymnos ac modulos cantare de canticis Sion.

48. Facta autem hac voce, convenit multitudo fratrum videre cum grandi miraculo hominem tantis miseriis et calamitatibus oppressum, in ipso mortis accessu cantando ac tripudiando insultantem, et quodammodo dicentem: *Ubi est, mors, victoria tua? (I Cor. xv, 55.)* Ecce ego magnus peccator, et pauperulus homuncio, quoniam stigmata Domini Jesu in corpore meo pro nomine ipsius patienter sustinui, te, larvalis umbra, mater mœroris, exterminatrix gaudii et perditrix vitae, non timeo, sed potius contemno, sciens te absorptam et penitus annihilatam in victoria crucis Domini nostri Jesu Christi. Ita ergo praecentor noster modulizans, et Alleluia quod in plateis caelestis Jerusalem frequentatur, quodammodo praecoccupans, quid post mortem carnis facturus esset, in carne adhuc corruptibili positus praesago miraculo declaravit: sicque laetabundus et laudans, in voce exultationis et confessionis beatam animam illam exhalavit. De cujus felici consummatione beatus Bernardus hilaratus, sermonem devotissimum ad fratres in capitulo fecit, commendans in eo dignum poenitentiae fructum, et admirabilem patientiam ejus omnibus proponens exemplum.

1216 CAPUT XXVI.

De sancto Bernardo, securitatem sive fiduciam cujusdam moribundi redarguente, seu potius tentante.

49. Conversus quidam de fratribus Clarae-Vallis, innocentis vitae, et conversationis honestae, cum graviter aliquandiu aegrotasset, tandem ad extrema